

683

2. D. B. V.

DE

# Studio Antiquitatis & Novitatis,

*Ad*

Barclaj. Argenid. Lib. III. Cap. 12.

IN

ACADEMIA LIPSIENSI,

*PRAESIDE*

**DN. L. A. RECHENBERG, P. P.**

& h. t.

COLLEGII PHILOSOPH. DECANO,

*Patrono ac Praeceptore suo de venerando,*

XXV. Jun. A. C. M. DC. XCVIII.

publice differet.

**JOHANNES ELIAS WEISIUS,**

Weissenfels. Misn.

A. & R.

---

LIPSIÆ,

Literis FLEISCHERIANIS.

INCLUTIS  
REIP. ZITTAVIENSIS  
PATRIBUS,  
STUDIORUM OLIM  
CULTORIBUS LAUDATISSIMIS,  
NUNC  
FAUTORIBUS GRAVISSIMIS,  
PATRONIS CERTISSIMIS,

HAS ACADEMICORUM CONATUUM PRIMITIAS,  
CONSECRATAS CUPIT

JOH. ELIAS WEISE,

NON NASCENDI QUIDEM FELICITATE,  
SED EDUCATIONIS TAMEN BENEFICIO,  
PATERNORUMQUE PATRONORUM ET AMICORUM FIDUCIA,

ZITTAVIENSIS.



B. C. D.

## CONSPECTUS THESIUM.

- I. *Præter virtutes, quæ ethicæ vocantur, etiam politicas habemus.*
- II. *Hujus generis aliquam notavit Barclajus.*
- III. *Quæ justum antiquitatis & novitatis studium complectitur.*
- IV. *Ea politicis vel imperantibus præcipue convenit.*
- V. *Cujus objectum, b. e. Affectus, Res, Actiones hic considerantur.*
- VI. *Affectus, unde in antiquitatem proclivitas, est aut negligentias*
- VII. *Aut contradicendi studium:*
- VIII. *Præcipue tamen præjudicium.*
- IX. *Quo antiquitati maxima tribuitur auctoritas.*
- X. *Ea in religionis negotio multum valet.*
- XI. *Inter causas præjudicii, est honesta simplicitas.*
- XII. *Cujus opinio sæpe fallit.*
- XIII. *Sic, ut antiquorum opera etiam imperfecta miremur.*
- XIV. *Quo affectu eruditi in primis occupati.*
- XV. *Quorum excessus dicitur prava æmulatio.*
- XVI. *Quibusdam inest horror novitatis.*
- XVII. *Affectus in novitatem proclivis aliquam superbiam arguit.*
- XVIII. *Ejusdem exempla.*
- XIX. *Deinde placendi studium.*
- XX. *Origo hujus affectus.*
- XXI. *Animi humani infirmitatem arguit.*
- XXII. *Unde animus præsentis forte nunquam contentus.*
- XXIII. *Ita cives & subditi semper sperant meliora de successore.*
- XXIV. *Ac pessimi homines sæpius Remp. cupiunt mutatam.*
- XXV. *Virtus ergo istos affectus temperans, est mediocritas inter præjudicium, & fastidium circa res antiquas & novas.*
- XXVI. *Res illæ quarum novatio tentari potest, sunt vel morales:*

- XXVII. *Vel artificiales, quæ subinde melius excoluntur.*  
 XXVIII. *Vel civiles, quæ hic imprimis attendenda veniunt.*  
 XXIX. *Circa mutationem rerum, antiquorum simplicitas, conniventia, prudentia expendi merentur.*  
 XXX. *Simplicitas est vel externa vel interna.*  
 XXXI. *Ad externam pertinet linguæ & sermonis, quin & titulorum usus, vestium cultus, morum & ceremoniarum observantia.*  
 XXXII. *Interna simplicitatis causa, est vel ignorantia utilitatis.*  
 XXXIII. *Aut ignorantia suæ virtutis.*  
 XXXIV. *Aut, quas vocant, consequentiarum.*  
 XXXV. *Conniventia circa inolitos pravos mores.*  
 XXXVI. *Qui vel ad Ethicam vel Politicam referri possunt.*  
 XXXVII. *Casus necessitatis, circa nova prudentiam docet.*  
 XXXVIII. *Inde vetera vel in vindictam, vel in pœnam mutari contingit.*  
 XXXIX. *Casus necessitatis etiam aliquando fingitur.*  
 XL. *Circa actiones, communis prudentiæ regulæ: (1. Interest Reipub. interdum quadam mutari.*  
 XLI. *(2. Videndum, an mutatio sit favorabilis, an odiosa.*  
 XLII. *(3. Videndum, an faveat occasio.*  
 XLIII. *(4. Mutatio sensim suscipienda.*  
 XLIV. *(5. Nova honestis nominibus commendanda.*  
 XLV. *(6. Casus necessitatis in excusationem allegandus.*  
 XLVI. *(7. Alii in societatem novitatis utilis alliciantur.*  
 XLVII. *Exemplum modi singularis circa novitatem.*  
 XLVIII. *Votum pro antiquitatis & novitatis statu Christianorum.*

I.

**U**T in Ethica certas habemus virtutes, quæ normam & mediocritatem suam capiunt ex ipso conscientiæ iudicio, nec defectum vel excessum admittunt, qui non sit in se turpissimus: Sic in Politica habitus etiam laudabiles observamus, nomine virtutum non indignos; si vel maxime normam suam ex utilitate societatis externæ potius, quam ex interno rationis dictamine petant; & in excessu

cessu vel defectu, non turpitudinem aut damnabilem pravitatem, sed imprudentiam vel stupiditatem arguere videntur.

## II.

Hujus generis egregium exemplum nobis offert *Barclajus*, rerum politicarum, utinam non consiliorum e Machiavelli schola petitorum callentissimus. Nam in *Argenide Lib. III. cap. 12.* Cleobulus Meleandrum Regem deprehendit in accipiendis consiliis obstinatum; quippe quod damnare nollet veterem disciplinam, eamque superstitionem his verbis redarguit: *Majores nostri res suas ad SECULI, QVALE TUNC ERAT GENIUM, curare: nobis pro DIVERSITATE TEMPORUM in qua incidimus, interdum pro salute est, a MENTE eorum & CONSILIIS abire: ut & PROFANÆ SUPERBIAE putem, ubique negligere avitam prudentiam; & ABSURDUM REVERENTIAE GENUS, quod nos perpetuo illorum institutis velit addicere.*

## III.

Nominantur hic extrema duo, tum PROFANA SUPERBIA, tum ABSURDA REVERENTIA; quæ, nisi nos omnia fallunt, virtutem habent in medio, quam diceremus vel PRUDENTEM ANTIQVITATIS VENERATIONEM, vel DECORUM NOVITATIS STUDIUM; vel, ut unum adsit nomen, JUDICIUM RETINENDI VEL NEGLIGENDI MAJORUM PLACITA.

## IV.

Operæ vero pretium fuerit, in hujus virtutis naturam & rectitudinem inquirere, quam in se judicamus omnino politicam; ut potissimum pertineat ad homines negotiis civilibus occupatos; vel, ut expressius loquamur,

A ;

illis

illis maxime competat, qui Summam Reipubl. curant, ac adeo legum simul & consuetudinum mutationem sibi commissam intelligunt.

V.

Et viam quidem tractandi simplicissimam aggressuri, quod ab Ethicis alioquin observatur, tres examinabimus quaestiones: quos habemus AFFECTUS, unde communiter ad venerationem, vel contemptum antiquitatis adigi soleant homines? Quae sint illae RES quae venerationem aut contemptum mereri videantur? Tandem quibus artibus Politici, venerandi sua vel contemnendi consilia prudenter exsequantur?

VI.

Si primum inquiramus in *affectus*, qui nobis commendant venerationem antiquitatis, non est, cur illis multum immoremur, qui per accidens ad simulationem potius, quam ad solidam vetustatis venerationem, animum deducunt. Cujus generis est NEGLIGENTIA, qua laborasse nonnullis credebatur Tiberius, qui *tadio nova cura semel placita pro aeternis servari maluit*, Tacit. Annal. lib. I. cap. 80. nisi quid occultioris prudentiae suberat, quorsum respicere quoque visus est ipse Tacitus *loc. cit.*

VII.

Huc etiam pertinet CONTRADICENDI STUDIUM, quod ideo praefere solet antiqua; quod aliis placent recentiora: cui forte non improbarentur nova, si caeteris arrideret antiquitas. Quo loco nominari meretur Masuyerus Tolosani senatus princeps, qui cum apud Gallos passim mutari soleat dicendi ratio, *obsoleti sermonis tenacissimus, verba parum curabat*, apud Gramond. Hist. Gall. L. XVIII. Nec crediderim Julianum Apostatam veteribus legibus tantum tribuisse; nisi gentilium religionem adversus Chri-

Christianos extollere constituisset. Inde Libanius Sophista Orat. X. in Juliani necem, adulatoris vice functurus: *Leges quæ jam dudum invaluerant, Principis superbi pervicacia solutas denuo ratas declaravit: cum multo præclarior ad gloria studium esse censeret, recte sancitis conferre, quam frustra culpæ conditas, iisque temere derogare.* Ubi per Principem superbum intelligit antecessorem Constantium, qui relegatis in pagos ethnicis, paganorum nomini dederat occasionem. Quod Jacobus Godofredus verbis Ammiani Marcellini probavit: *Julianus memoriam Constantii, ut novatoris turbatorisque præscarum legum & moris antiquitus recepti vexavit.* Vide omnino ejusdem notas eruditissimas in *Codic. Theodos. Lib. V. Tit. 12. de longa Consuetudine.*

#### VIII.

Vera tamen & genuina causa superstitionis est PRÆJUDICIUM, seu credula persuasio rei minus certæ, quam velut certam semel admisimus. Nam repeti potest illud Ciceronis in Oratore: *Habet ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas.* Nec suo fundamento caret hæc credulitas, si cogitemus majorum studio vel auspicio multa fuisse comparata, quæ posteris adhuc usum præstant. Quo respexit Furius Albinus apud Macrobi-um *Saturnal. Lib. II. Cap. 10.* qui sic loquens introducitur: *Vetustas nobis semper, si sapimus, adoranda est: illa quippe secula sunt, quæ hoc imperium vel sanguine vel sudore pepererunt, quod non nisi VIRTUTUM faceret LIBERTAS.*

#### IX.

Inde Gentiles facile poterant in laudandis veterum consiliis, ad divinam aliquam auctoritatem provocare. Nam ut pueri parentum verba semper habent pro oraculis; sic etiam plerique, majorum conatus, velut auxilio di-

vino

vino directos agnoscunt; adeoque mutationem decernere vix sustinent. Quo forsitan referre licet veteres Massilienses *apud Valer. Max. Lib. II. cap. 7. num. 7.* qui gladium antiquum ab urbe condita servabant, quo noxii jugularentur; si vel maximè rubiginosus ministerio vix sufficeret.

X.

Tantoque majorem vim ea præjudicia prodebant, quoties ageretur de religione, quod non obscure cognoscitur in petitione Symmachi ad Imperatores, *Lib. X. Epist. 61.* qua rogabat, dignarentur aram victoriæ, quam Christiani submoverant, in curia restituere: sic euim antiquitatis patrocinium suscipit: *Repetimus religionum statum, qui Reip. diu profuit.* Deinde Romam loquentem introducit: *Optimi Principes, Patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar ceremoniis avitis; neque enim pœnitet.* Cui tamen graviter respondet Ambrosius *Lib. V. Epist. 31. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda; sed morum. Nullus pudor est, ad meliora transire.* Memorabile etiam Principis, ad inane vetustatis nomen in sacris adhærescentis, exemplum, Peiferus *in sua Lipsia Lib. III. §. 33.* annotavit. confer mei jam DN. PRÆSIDIS *dissert. de Novit. in Republ. noxia & innoxia c. 3.*

XI.

Sed maneamus intra cancellos politicos, ac novam præjudicii causam examinemus. Quod videlicet antiquis tribui solet honesta simplicitas, quæ cum callidis præsentium temporum moribus comparata, nonnullam mereri gratiam videtur. Quod Trajano perquam feliciter successit; cum more prisco, tribunal e cespite factum conscenderet. *Plin. Panegy. cap. 56.* Idem sentit Lipsius *in*  
præ-



*prafatione ad orationem, qua venientes in auditorium, Albertum & Isabellam exciperet, qui rationem reddit, cur veterum ipse viam calcavisset: Meo voto, inquit, prisca illa & usu felicia, ad gloriosa revocantur, præ novitiis quibusdam obliquis, callidis & quæ speciem magis prudentiæ, quam ipsam habent: melius profecto æquabiliusque regantur res humane.*

## XII.

Interim sicut ea simplicitatis opinio non rarò fallit, quod Macrobius supra citatus *Lib. II. Cap. 10.* non dissimulat: *in illa virtutum abundantia, vitiis quoque ætas illa non caruit, e quibus nonnulla, nostro seculo, morum sobrietate correctæ sunt:* Ita fallaciæ causam habemus facillimam. Nam antiquorum virtutes agnoscimus sine circumstantiis; præsentia verò sic intuemur; ut circumstantias, præsertim quas Ethici minuentes & augentes appellant, insigni numero deprehendamus. Excutiamus *Horatii* querelam *Carmin. Lib. III. Od. 6.* quæ jam ante natum Christum valuit, & nunc velut novum oraculum, a multis repeti solet:

*Aetas parentum peior avis, tulit  
Nos nequiores, mox daturos  
Progeniem vitiosorem.*

Hujus enim judicii veritatem probare videtur & nepotum præsentia, quorum singulas intuemur circumstantias, & majorum absentia, quos in examen adeo rigidum revocare nemo potest.

## XIII.

Dum itaque semel invaluit antiquitatis veneratio, contigit, ut eorum imperfectionem multi haberent in pretio. Nam quicquid artifices etiam affectum magis, quam effectum reliquissent, cæteris spectabilius judicatum. Sic enim *Plinius Hist. Nat. Lib. XXXV. Cap. 11.* de pictoribus: *Memoria dignum, etiam suprema opera artifi-*

B

CUM

cum imperfectasque tabulas, sicut Irim Aristidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi, & Venerem Apellis in majori admiratione esse, quam perfecta. Quippe spectatores non cogitant quid artifices præstituri fuissent; sed quid in idea præstare potuissent. XIV.

Cur eruditi plerumque sint antiquitatum admiratores, forsitan eo referendum est; ne sentire videantur cum vulgo, sic ut Adrianus Imp. amavit genus dicendi vetustum, controversias declamavit; Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Calium præferret, eademque iactatione de Homero & Platone judicaret. vid. Spartianum in Adr. cap. 16. & DN. PRÆSIDIS mei dissert. alleg. c. 2. §. 5. interdum quicquam intercedit invidiæ, qua forsitan suspicione laborat celeberrimus Vossius, suo alioquin merito par antiquis habendus, cum in Epistola ad Reginam Cbristinam Epist. III. p. 9. fatetur, antiquos historicos periisse sine posteritate: ut enim recentiores vincunt plebem, sic a priscis vinci nostros recentiores. Cui tamen Taciti inter historicos non postremi iudicium, ad latus poni velim, Annal. Lib. III. Cap. 55. Non omnia apud priscos meliora, sed nostra quoque atas multa LAVDIS & ARTIVM imitanda posteris tulit.

#### XV.

Affectum hunc aliquando vocari PRAVAM ÆMULATIONEM deprehendimus. Sic enim Lipsius, Centuria singulari ad Germanos & Gallos, Epist. III. adversus vocabulorum obsoletorum captatores iudicat: Voces illa veteres & prisca, mihi crede, eloquentiam non faciunt: & quamquam lectionis aut doctrine aliquod specimen præferunt; tamen jure banc NB. κακοζήλιαν damnat & appellat Augustus. Alii dixerunt INVIDIAM. Vellejus Lib. II. cap. 92. Naturaliter audita visis credimus libentius, & præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur. Martialis Lib. V. epigr.

10. rationem dicere jussus; cur veteres poetæ magis place-  
rent, quam recentiores, ita judicat:

*Hi sunt invidia nimirum, Regule, mores,  
Præferat antiquos semper, ut illa novis.*

XVI.

Est & aliquis HORROR NOVITATIS, quem infe-  
rioris sortis homines apud se deprehendunt, ut etiam be-  
neficia novitatis nomine suspecta repudient. Cujus ge-  
neris pulcherrimum exemplum ex *Laurentio Mollero, scri-  
ptore quodam historia Septentrionalis*, repetit *Conringius  
Disput. de Ratione Status Thes. XII.* Cum enim Nobiles Po-  
loni delinquentes suos rusticos verberibus gravissimis affi-  
cerent, Stephanus Rex Anno 1582. convocatis illis signifi-  
cavit; se illos a verberibus liberaturum, & mulctam, si deli-  
quissent, mitiorem esse impositurum. Verum rustici ini-  
quissimo hoc ferentes animo, antiquas se consuetudines  
mutatas nolle, omniaque dura se malle perpeti, responde-  
runt, quam introduci *novitatem*.

XVII.

Hæc de affectibus, qui nos trahunt ad antiquitatem.  
Videamus nunc, quem sentiamus impetum in *studio novi-  
tatis*. Sane *Barclajus* nominat SUPERBIAM, seu ni-  
miam honoris curam; cui tum satisfieri posse videtur, si  
nova sapientia testemur, quantum nos antecessoribus ha-  
bendi simus superiores. Laboravit hoc affectu *Palæmon  
Grammaticus* *Suetonio de illust. Grammat. num. 23.* nomi-  
natus, *cujus arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem,  
porcum appellaret; secum & natas & morituras literas ja-  
ctaret. v. & Quintil. l. I. c. 4.* Sic enim veteribus gloriam  
præripere, posteris meliorem inclarescendi fiduciam de-  
negare videbatur. Cui jungere licet *Hieronimum Car-  
danum: qui postquam satis temere alicubi negasset, se quic-  
quam ab aliis inventum sibi adscribere, cum sufficiant sibi pro-  
pria,*

pria, atque de iis conquestus fuisset, qui suppresso nomine, inventa ipsius sibi vindicarent; omnes eos *A MENTES* vocavit, qui nescirent inventa Cardani talia esse, ut *A NVLLO INVENIRI* potuerint, qui non jam fama egregia esset cognitus. Vid. Spizel. de Vitiis Literatorum Commentat. II. p. 213.

### XVIII.

Ejusmodi gloriam placere Politicis, vel exemplo Neronis constat, qui novitatis etiam externa specie capiebatur. Nam multis rebus & locis, vetere appellatione detraeta, novam induxit (vel indixit pro imperio) ex suo nomine mensem quoque Aprilem Neroneum appellavit: destinaverat & Romam Neropolin appellare. vid. Sueton. Cap. 55. Utinam ad Theologos idem affectus non perveniret, quod de Carolo studio refert Seckendorffius, Hist. Luther. Lib. I. Sect. 49. addit. 2. Lapsus ejus ex nimia de se opinione ortum esse, Selneckerus affirmat, ex ore Philippi se audivisse, referens, erupisse eum in haec verba: *NON MINVS CVPIO MAGNVS ESSE ET MAGNIFIERI, QVAM LVTHERVS.* conf. PRÆSIDIS mei Dissert. alleg. c. 4. §. 12.

### XIX.

Prope superbiam est immodicum *PLACENDI STUDIUM*, quod varia sæpius vanitate seculi vel applausum vel admirationem captat: Ita Lucianus in *Hippia*, cujus admirabile balneum describit more suo, i. e. satyricè, non exiguam agnoscit sapientiam, in rebus communibus, nova comminisci pulchritudinis specimina. Idem Lucianus in *Zeuxide*, cum de novitate multum differuisset; pictorem hunc dicit non representasse vel Heroas vel Deos aut bellum, sed nova comminisci semper solitum, in quibus solertiam artis ostenderet. Qui tamen cum pinxisset Hippocentaurum, pueros hippocentaurus geminos admodum parvos nutrentem, ac intelligeret spectatores novitate captos, ab artis con-

con-

contemplatione nimium avocatos, nimium fuit indignatus.

## XX.

Sed paulo penitius intueri libet ipsum hujus affectus principium, cur superbi novis rebus tantum tribuere vel debere soleant. Quod exprimemus verbis Francisci Baconi de Verulamio, *de Augment. Scientiar. Lib. VII. cap. 2. Affectus qui humana natura ut comes individuus lateri adhaeret, est AMOR NOVITATIS aut VARIETATIS.* Sive primum movens venit ab ADMIRATIONE, quam primariis affectibus accenset DN. PRÆSES *Lineament. Doct. Civil. Cap. 6. §. 6.* Nam ejus vim undiquaque vehementem agnoscimus, quam in Oratoriis Cicero *Orat. Partit.* commendat: *Fit suavis Oratio, cum aliquid aut invisum, aut inauditum, aut novum dicas: delectat enim quicquid est admirabile.* Sive majorem efficaciam prodit HUMANI GENERIS INFIRMITAS, ut nostræ semper imperfectionis admoniti, præsentia fastidiamus, novaque tanquam solatio futura desideremus.

## XXI.

Infirmiorem hanc, Seneca disertis verbis exagitat, *Benefic. Lib. III. cap. 3. Novis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus inspicimus: non in id, quod est, sed quod appetitur intenti: quicquid enim domi est, vile est.* Cujus generis hominem, Silium Italicum notat *Plinius Lib. III. Epist. 7. qui plures possidebat villas, ad amatisque novis, priores negligebat.* Ac forte meretur hic referri jocus Joh. Mendozæ apud Thuanum *Hist. Lib. III. pag. 58.* Is enim audiens controverti; num anima Francisci I. Regis devenisset in purgatorium; *faceto & apto pro tempore* (sic Thuanus appellat) *responsio* certamen composuit: *Franciscum eo semper ingenio fuisse, ut diu habere ullo loco, quantum-*

tumvis amœno & commodo nunquam potuisset; inde ad purgatorium moræ faciendæ causa non divertisse.

XXII.

Ægrotis sumus similes, qui lectum ideo quam sæpissime mutant, quod in novo strato meliorem sibi quietem pollicentur. Seu, ut Senecæ verbis utamur, *Epist. LII. Fluctuamus intra varia consilia, nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper.* Unde colligi potest, quam desperata fuerit Gentilium Philosophia; cum ipse Philosophorum princeps, Cicero, suam infirmitatem dissimulare non potuerit, *ad Attic. Lib. XII. Epist. 18. Habeo nihil TENTATIS REBUS OMNIBUS in quo acquiescam.* Neque nunc difficile foret, solvere dubium Baconi *Histor. Natural. Centur. III. fin. Si quis causas dare velit satietatis, suavitatis, novitatis; neque distinguere modo cibos & potus; sed & motus, amores, consortia, voluptates, studia quibus ex consuetudine allubescimus; inquisitionis campum ingrederetur amplissimum.*

XXIII.

Baconi mentio nos retinet, ut exquisitissimum ejus judicium de hoc affectu, quem persequimur, veneremur. Nam *Libr. VIII. de Augm. Scientiar. Cap. 2.* cum agit de subditis & aulicis qui respiciunt successorem; *Vix reperitur, inquit, qui non delectetur magis iis, quæ sperat, quam iis, quæ fruitur: quin etiam novitas humana natura grata est, & avide expetitur.* In successore Principis duo concurrunt, NB. SPES, & NOVITAS.

XXIV.

Utinam Spes hæc & Novitas non impelleret cives interdum corruptissimos, qui Catilinam referunt: cujus descriptionem verbis Flori *Lib. IV. Cap. 1.* dabimus: *Catilinam luxuries primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi, arma Romana,*  
pere-

*peregrinabantur, in nefaria consilia opprimenda sua patria compulere. Senatum confodere, Consules trucidare, distringere incendiis urbem, diripere ararium, totam denique remp. funditus tollere. Ut adeo Socratem patriæ credamus amantissimum, qui Theagen, juvenem novis rebus & consiliis tyrannicis deditum, in disciplinam suam recipere negavit, caussatus, a Genio suo se prohiberi. v. Platonis Dialogum qui Theages inscribitur.*

XXV.

His ita nunc præsuppositis, Virtutem nostram definemus, **MEDIOCRITATEM INTER PRÆJUDICIUM ET FASTIDIUM CIRCA RES ANTIQVAS ET NOVAS.** Clarior tamen accedet lux, si, quod secundo loco facere constituimus, **RES** ipsas inspiciamus, quæ vel retineri vel negligi merentur.

XXVI.

Eæ sunt vel **MORALES** vel **ARTIFICIALES**, vel **CIVILES.** Morales stricte sic appellatas, h. e. quæ lege naturæ immutabili determinatæ sunt, nemo temere mutaverit, quod Deum habent auctorem. Id enim agnovit etiam Gentilis Seneca, *Præfat. ad Lib. I. Natural. Quæst. Necessè est, ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt: seu ut verba sonant antecedentia: an majestatis deminutio sit & confessio erroris, mutanda fecisse.* Paria habet *Benefic. Lib. VI. Cap. 23. Sua Diis in legem æternam voluntas est, statuerunt, qua non mutarent.*

XXVII.

In *artificialibus*, ac ipsis quoque disciplinis, quia nihil inceptum, simul est & perfectum, novam subinde correctionem expectare justum est. Inde Seneca *Natural. Quæst. Lib. VI. Cap. 5. veteres opiniones parum exactas & rudes nominat. Unde sic pergit: Nova omnia erant primo ten-*

*tan-*

*tantibus, post eadem illa limata sunt: Et si quid inventum est, illis nihilominus referri debet acceptum. Magni animi res fuit rerum natura latebras dimovere, nec contentum exteriori ejus conspectu introspicere, Et in Deorum secreta descendere. Plurimum ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperiri. Cum excusatione igitur veteres audiendi sunt. Nulla res consummata est, dum incipit. Nec in hac tantum re omnium maxima atque involutissima (Physicam intelligit) in qua etiam cum multum actum erit; omnis tamen aetas quod agat, inveniet: sed in omni alio negotio longe semper a perfecto fuere principia. confer DN. PRÆSIDIS mei dissert. de Novit. all. c. 4.*

### XXVIII.

*De Civilibus igitur quam maxime nunc dispiciendum est, quo nomine comprehenduntur leges, consilia, consuetudines & ipse civitatis status. Ubi quidem antiquitatis semper valere debet auctoritas, si nimirum justa quoque causa sit in promptu; cur id antiquis placuerit. Spectat eo lex sive a Constantio, sive a Juliano lata, quæ habetur Cod. Theodos. Lib. V. Tit. XII. de longa consuetudine. Venientium est temporum disciplina instare veteribus institutis. Ideoque NB. cum nihil per causam publicam intervenit, quæ diu servata sunt, permanebunt. Quod confirmat Constantini, l. 2. C. de long. Consuet. Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est; verum non usque adeo sui valitura momento; ut aut rationem vincat aut legem.*

### XXIX.

*Sane, si quid a posteris mutari debeat, quod veteribus placuit, eorundem observamus aut SIMPLICITATEM, aut CONNIVENTIAM, aut PRUDENTIAM certis circumstantiis accommodatam: Ut credamus eos ipsos ad mutationem fore paratissimos, si tempora nostra vivendo attigissent.*

XXX.



## XXX.

*Simplicitatem* primo si spectemus, non intelligimus habitum eum animi laudabilem, qui fraudum nulla mixtura laborat, quo sensu *Tbes. XI.* nominabamus *bonestam simplicitatem*; sed eam potius animi tarditatem vel infelicitatem, quæ vel curiosa non assequi, vel callida non cavere posse dicitur. Quam quidem habemus *EXTERNAM*, quæ consuetudinis ulteriorem perfectionem & culturam non assequitur; *INTERNAM*, quæ genuinam prudentiæ rationem & praxin parum observat.

## XXXI.

Ad *externam* refertur *LINGVÆ ET SERMONIS USUS*, cujus decoram novitatem, nemo sanus repudiat iudicio Macrobiani, *Saturnal. Lib. I. cap. 5.* *Vivamus moribus præteritis, presentibus verbis loquamur.* Quo pertinent tituli Regum & Principum ex impositione & consuetudine viles aut præstantes. Sic majorum tempore satis videbantur honorati, qui vocarentur *Illustres, Excellentissimi, Præclari, Magnifici.* vid. *Becmann. Notit. Dignit. Dissert. I. cap. IV. num. 7.* Refertur eo *VESTIUM CULTUS*, cui quidem soli facile resisti non potest, si nationes integræ sint ad novitatem proclives. Extant in Actis Eruditorum Lips. *ad an. 1683. pag. 261.* picturæ, quomodo Carolus V. Galliarum Rex cum proceribus suis fuerit vestitus, *ibid. p. 412.* quo habitu cum illustri suo gynæceo spectata fuerit Regina Coniux: cujus tamen consuetudinis venerationem nemo temere sit amplexurus. Univerſim eo refertur *MORUM & CEREMONIARUM*, ut vocant, *OBSERVANTIA*: quam pro vicinorum captu recipere, nunc quidem creditur esse politicum. Ita Wicquefort *l' Ambassadeur Lib. I. cap. 20. p. 403.* notat Duces Bavaricæ, quin & Neoburgicos, ob crebra commercia cum Gallis & Italis, multa recepisse

C

quoad

quoad ceremonias aulico-politicas, ad quarum observantiam cæteri principes non statim accessissent.

XXXII.

*Interna* vero, quam diximus, *Simplicitas* variam habet causam. Aut enim veteres non intellexerunt *SUAM UTILITATEM*. Ita cum Civitates Hanseaticæ 1595. conquererentur privilegia de vectigalibus, olim ab Angliæ regibus data, nunc antiquata esse; jussu Elisabethæ responsum est: *Privilegia illa concessa, cum res mercatoria & nautica apud Anglos jaceret*. Sic Angli lanam suam permittebant exteris, donec Henricus VII. agnita simplicitate, legem ferret, ne cruda exportaretur, *Baconus Hist. Henr. VII. p. 1039*. Eam quoque simplicitatem argute satis tangit Camdenus, *Part. I. pag. 87. Lanam Anglicam fuisse VELLUS AUREUM, cui inclytus ille militaris ordo VELLERIS AUREI suam originem & Burgundiæ duces magnas opes debuerint*. Imo Henricus VII. legem libenter laturus erat; ne manufacturas sericas ab exteris acciperent; nisi cognovisset suorum simplicitatem, qui talia conficere non possent. *Baconus ibid. pag. 115.*

XXXIII.

Aut veteres non intellexerunt *suam VIRTUTEM*, quod exterorum admiratione capti, suas ipsi dotes contemnerent. Nam, quod habet Plinius *Lib. VIII. epist. 20. ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur*: & ut audiamus Tacitum, *Annal. Lib. IV. cap. 23. quæ ex longinquo in majus audiuntur*. Sic olim in Suecia receptum erat, ut in quibuslibet oppidis dimidia pars Senatorum legeretur e Germanis: quod tamen postea ne Germanis quidem ipsis placere poterat, qui liberos suos in Suecia natos excludi dolebant; ut omnibus applaudentibus Steno Stur consuetudinem hanc abrogaret. *Loccen. Histor.*

*H. stor. Suecan. Lib. IV. pag. 158. Quo pertinet iudicium Trajani ad Plinium, Plin. Lib. X. epist. 49. Nulla provincia est, quæ non peritos & ingeniosos homines habeat.*

XXXIV.

Aut veteres non perspicere potuerunt varii generis, ut vocant, **CONSEQUENTIAS**, quibus eliciendis aliorum calliditas esset invigilatura. Sufficiat hic respicere ad locum Camdeni *Part. IV. p. 692.* Nam Elisabetha, quæ Fœderatis Ordinibus Belgii pecuniam promiserat; neque tamen hac lege semper obstrictam se putabat, e Jctorum & Politicorum oraculis id proferebat: *Omnes contractus cum Principe sic intelligi; ut admittant interpretationem bonæ fidei; neque principem teneri ex suo contractu, quando ex justa causa contractus cedit in publicum detrimentum: Res devenisse ad alium casum, de quo fuisset aliter provisum, si fuisset cogitatum. Omnem conventionem quantumvis juratam intelligi rebus in eodem statu permanentibus, non autem illis mutatis.* Adjiciebatur Senecæ auctoritas, qui *de Benefic. Lib. IV. cap. 34.* sapientis constantiam sic describit: *Non mutat sapiens consilium, omnibus his manentibus, quæ erant cum sumeret. Ideo nunquam illum pœnitentia subiit, quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam quod factum est, nihil melius constitui, quam quod constitutum est.* Non tamen eodem iudice, est turpe, cum re mutare consilium. *l. V. de Benef. c. 38.* Eo respexit Grotius *de Jur. Bell. & Pac. Lib. II. cap. 14. n. 12.* cuius hæc sunt verba: *Si quo casu contractus in extensione ad illum casum censendus fuisset injustus & illicitus, tunc non tam revocari eum contractum posse, quam declarari eum, non ultra obligare, quasi factum sub conditione, sine qua juste fieri non potuit.*

XXXV.

Sed intelligenda simul circumspecta veterum CON-

NIVENTIA, qui malis quidem agnitis, ferre statuerunt, quod mutari non poterat. Exemplo Tiberii, qui rogatus, ut coërceret luxum Romanæ civitatis, *apud Tacitum Annal. III. cap. 53.* respondit: *nescio, an suasurus fuerim omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus.* Quibus sane tolerandis princeps non consentiret, si forte expiraverit connivendi causa; quod tandem in hoc ipso refrenandi luxus exemplo præstitit Vespasianus, *præcipuus adstricti moris auctor*, ut eum vocat Tacitus *loc. cit. cap. 55.*

### XXXVI.

Ipsa mala quæ tolerantur vel sunt MORALIA, vel POLITICA: de moralibus audire libet Conringium *Not. ad Lampadium pag. 37.* *Potest interdum potestas civilis impune permittere, ut lex quadam naturalis haud observetur, exigente videlicet usu reip. ut majoris mali vitandi causa minus permittatur.* Id in Gallia conspectum fuit, quoties adversus duellorum licentiam aliqua tentarentur. Ita Gramondus *ad an. 1615. Lib. I.* *Rex edictum promulgari jubet, majore quam ante severitate in monomachos. Verum ex vetito gliscit autoritas crimini, majoreque post legem licentia grassatur iste furor.* Interim ubi præsens Ludovicus impedimenta removit, ad tolerantiam antecessoribus necessariam adactum se non vidit. De politicis ejusdem Gramondi placebit exemplum: Cum enim aliqui suaderent pactum cum Hugonottis, quos vocat sectarios, & excusationem ab eo peti vellent, quod ea res placuisset antecessoribus, expresse negatum fuit. *Lib. VIII. ad an. 1621.* ita etiam Ludovicus XII. cum certis pactis sese Genuensibus obstrinxisset, postea civitate potitus, ea quidem statim abrogavit, ac denuo concessit sub nomine privilegiorum, quæ magis convenire videbantur regię majestati. *Guicciardin. Hist. lib.*

lib. VII. & ex eo Pufendorf. Jur. Nat. & Gent. lib. VIII. cap. 10.  
§. 9. confer PRÆSIDIS mei Dissert. III. part. II. de vitiis,  
quibus civitas impar.

XXXVII.

Prudentia, quæ res laudabiliter constituit, aliquando per inopinatum NECESSITATIS CASUM, ut a prioribus discedat, cogi potest. Nobilissimum hic allegari potest *σεισάχθεις*, seu TABULARUM NOVARUM exemplum. Nam Atheniensium populus grandi ære alieno sic obstrictus erat; ut vel extrema pati, vel ad seditionem, non creditoribus modo, sed universæ patriæ periculosam, respicere juberentur. In ea necessitate felicissimum erat Solonis remedium, qui lectus legum conditor, ante omnia equidem æs alienum omne debitoribus remisit, simulque, ne quis impofterum id corporis obligatione contraheret, lege lata prohibuit. Videri de his potest & Plutarchus, & Diogenes Laertius, qui vitam Solonis descriperunt. Cur autem peculiari hoc nomine, rem in se odiosam commendaverit, infra monebimus, *Tbes. XLIV.*

XXXVIII.

Casum necessitatis sæpe nobis objicere videtur non imminens periculum, sed honoris opinio; ut vetera mutare libeat, vel *in VINDICTAM* vel *in P OENAM*. Vindictæ gravissimum exemplum dedit Henricus VIII. Angliæ Rex. Is enim repudiata Conjuge Catharina, ex qua Mariæ pater factus erat, cum duxisset Annam Bolenam, ac Pontificem sibi sentiret acerbum, gravissimum odium in eum conceperat, (referam singula breviter verbis Sleidani *Lib. IX. ad an. 1534. pag. 141.*) ut continuo decretum faceret, quo se per Angliam Ecclesie caput, proximum a Christo pronunciaret, & Pontificatum plane projiceret, capitis poena constituta, si quis episcopo Romano supremam potestatem ad-

*scriberet: tributum etiam annuum Romano Pontifici prestari solitum denegaret.* Poenæ exemplum satis memorandum reliquit Albertus Austriae Dux, postea Imperator, Rudolphi Habsburgici filius, quod refert Gerardus de Roo *Hist. Austriac. Lib. I. p. 49.* Viennenses enim novitum domini impatientes ad gravissimam seditionem spectabant, ut futores quoque jactitarent, *se ligneis solearum formis palatii fossas expleturos & reliqua terra equaturos.* Sed fame coacti, cum redirent ad obsequium, hac conditione veniam largiebatur; *ut omnia privilegia, quae habebant, ipsi traderent.* Id cum factum esset, convocatis aulae primatibus, legi omnia jubet, *quaeque vel sibi vel posteris fraudi putabat fore, discerpit.*

### XXXIX.

An interdum fingatur necessitas, nostrum non est determinare. Novitatis studium praese ferebant Hispani, cum sub ingressum Philippi II. Status Belgici reformationem susciperent. Nam novos episcopos statuebant, quasi Germanorum inspectio, quorsum pertinebant Belgae, non sufficeret. Status provinciarum convenire non patiebantur; quasi majestate vix dignum esset, audire suffragia subditorum: Imo quod Meursio notatum est *Guilielm. Auriac. lib. I. ad an. 1559. ut cedibus, relegationibus & bonorum publicationibus Belgium universum perderetur.* Adde Grotium *Annal. Belg. lib. I.* Nec alia facta premebant Lusitaniam, siquidem vera sunt, quae refert Joh. Baptist. Birago *Revolut. Portugal. lib. II. pag. 157. seqq.* Nam praeter morem, Lusitaniae status vocabantur in Castiliam, qui conquereretur in discrimen adduci, *fortunas, bonorem & vires.* Quin & Equitum Christi ordo sic contemptus, ut Judaeis insignia conferrentur; indignantibus viris illustrissimis, qui abjecto signo, vel carere dignitate, vel sociis parum acceptis

ptis

ptis liberari volebant. Sed talia forsitan a peritioribus tractari poterunt melius.

XL.

Nos ordinis semel recepti memores, inspecta virtutis, quam describendam suscepimus, natura, pergimus ad ipsas *actiones*, h. e. ad commodum virtutis exercitium; quod nostris viribus haud omnino conveniens, leviori tantum brachio tangetur. Primum vero principium id arbitramur: INTEREST REIP. NONNULLA MUTARI. Sive enim corrigi meretur simplicitas, sive terminum attingit conniventia, sive novis necessitatibus consilia turbantur; magnum resp. debebit beneficium, quæ meliorem sibi statum promitti videat. Valet enim Philippi III. Imp. Symbolum a SAVEDRA notatum: *Quod male ceptum est, ne pigeat immutasse, Symb. LXV. pag. 550.* vel quod ipse SAVEDRA scribit: *Nulla tanta est prudentia, cujus consilia pro omni tempore salutaria sint.* Cui postea placent verba Juris Canonici, *Cap. VIII. de Cons. & Affin. Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana; presertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.* confer PRÆSID. *dissert. cit. c. 4.*

XLI.

Alterum principium est: VIDENDUM, AN MUTATIO SIT FAVORABILIS, aut ODIOSA. Nam de favorabilibus nec dubium est, nec difficile requiritur consilium. Sic facile fuerat Tiberio Cappadocibus in formam provinciæ redactis, quædam ex regiis & consuetis tributis deminuere, quo mitius imperium Romanum speraretur. *Tacit. Annal. lib. II. cap. 56.* & Græciæ civitates reddita sibi libertate, lætum adeo clamorem excitabant, *ut aves præter-*  
*volan-*

*volantes strepitu attonita conciderent. Valer. Max. lib. IV. cap. 8. num. 5.* Odiosa vicissim sive Consuetudines, sive leges & privilegia concernant, quam caute tractari debeant, ex iis patere potest, quæ modo diximus de Belgis & Lusitanis, *Thes. XXXIX.*

XLII.

De his igitur odiosis VIDENDUM AN FAVEAT OCCASIO. Alias enim homines, *tuta & presentia quam vetera* seu nova & *periculosa* malunt, Tacit. *Annal. lib. I. Cap. 2.* Sic Donatus Acciaivulus *apud Machiavell. Hist. Florentin. lib. III.* cum vellet in gratiam nobilium quicquam immutare, monebatur a collegis; *res novas minime tentandas, quarum commodum in ambiguo, periculum vero certissimum esset.* Ac Johannes Medicæus, *ibid. lib. IV. p. 207.* rogatus a multis, ne populi partes defenderet, respondit: *officium boni prudentisque civis consuetudinem in veteratam reipub. baud facile mutare; cum nimirum nulla alia re homines tantopere offendi soleant: siquidem necesse sit multorum, id cum damno conjunctum esse, & ubi magna pars offenditur, ibi indices malos effectus enasci, consentaneum esse.*

XLIII.

Quod si faveat occasio, nihilominus caute procedendum, h. e. MUTATIO SENSIM & velut per partes SUSCIPIATUR. Sic Tiberius, qui non delectaretur spectaculis, quod notavit Tacitus *Annal. lib. I. cap. 54.* populum tamen molliter habitum, non statim audebat *ad duriora vertere.* Sic de Scotis narrat Fournier *Geograph. lib. V. Cap. 8. pag. 238.* eos in observandis majorum institutis tenacissimos, cum in aula regis splendidius vestiuntur, domum reversos patriam vestem repetere, nec in totum novitatis hanc curam probare. Vel, ut exemplum placeat magis politicum, Gustavus Sueciæ Rex, Episcoporum  
in-



inveteratam potentiam refrenaturus, uno quidem impetu rem non aggrediebatur; sed Episcopus initio cum antea in accubitu regis latus clausissent, sub regni senatu & proceribus sedere jussit. *Loccen. Hist. Suecar. Lib. VI. p. 237.* Nec ipse Rex postea diffitebatur: plerosque ultro se abdicantes officio, spontaneum exilium elegisse. *Ibid. pag. 322.* Plenæ sunt historiæ exemplorum, si quo successu religio passim mutata, regum potestas adstricta transierit in absolutam, libertas vel erecta fuerit vel suppressa, illa petere velimus e Gallorum, Anglorum, Septentrionalium aliorumque scriptis. Sed memores in schediastmate nos versari, non est, cur extra limites compendii multum divagemur.

#### XLIV.

Inde velut per transennam reliqua spectaturi, tres regulas subjiciemus. NOVA NOMINIBUS HONESTIORIBUS REDDANTUR ACCEPTIORA. Sic Solon invisam legem de remittendis debitis, quod supra monuimus, blandissimo *σεισάχθειας* vocabulo commendabat. Nam ut Salmasius *cap. 17. de Mod. Usur.* notat, Græcis id jam in usu erat, deque iis dicebatur, qui ex servitute, in quam a creditore redacti erant, exsoluto debito, sese in libertatem atque civitatem vindicaverant. Neque multum ab eo nunc abit blandissimum *ἀμνησίας* vocabulum, quod in omnibus pacificantium formulis, ultimum post toleratas clades, solatium afferre jubetur. *vid. egregium discursum Forstneri ad Tacit. Annal. lib. XII. cap. 19. ad verba Eunonis in literis ad Cæsarem scriptis: bellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigitur.* In materia tributorum, nemo nescit *doni gratuiti* vocabulum Hispanis & Gallis frequentatum; ac in primis Lusitani mirabantur sub Philippo IV, cum Hispani suas exactiones ita commendarent: *Singularem esse regis modestiam, quod a subditis velut eleemosynam per Deum*

rogaret, qui talia mandare posset. *Birago Revolut. Portugall. Lib. II. pag. 161.*

XLV.

Porro CASUS NECESSITATIS ALLEGETUR, QUI NOVUM HOC FACTUM EXCUSET. Occurrit hoc loco, quod Barclajus *Argen. Lib. IV. cap. 18.* de tributorum materia, pro captu regum & principum, solide differit. Hianisba subito bello consilium judicabat utilissimum, si statim tributum imperaretur. Sed obstabat antiqua consuetudo, quæ tributis indicendis auctoritatem Statibus transcripserat: verum Poliarchus suadebat: *tentaret an id populus pati posset: tunc commodissimum tempus esse, cum externo pavidis bello, crederent pensione, quam Regina imperasset, se salutem redimere: videberis, ita pergit, nos novandis quidem rebus intendere vim regiam.* Porro docet: *præjudicio futurum, ut in cæteris periculis, idem necessitatis terror ad tributa sufficiat: Donec ita concludit: Ut quamvis averse aut fastidite rerum species ipso usu nobis conciliantur, paulatim assueti patientur ex uno Regis suffragio rem pendere.*

XLVI.

Tandem EO DEDUCANTUR ALII, UT NOVITATIS IPSI VELINT AUCTORES ESSE. Cujus artificii gnarum Gustavum I. Sueciæ Regem sistit Loccenius *Histor. Suecor. Lib. VI.* Cum enim crescentem ejus potentiam aliqui calumniis proscinderent; publice fatebatur, *si quid in ejus imperio desideraretur aut displiceret ordinibus, se paratum esse sponte imperium deponere, ne resp. per ipsum quid incommodi pateretur.* Inde rogabant ordines: *ne imperium & ipsos destitueret, sed ut hæctenus eis præesse vellet. pag. 237.* Idem postea repetebat *pag. 253.* postquam conquestus esset, neminem ferme dicto audientem esse

CU-

cupere: *se hac lege regnum nolle, sed plane abdicare contentum quem velint regem eligere, & in votis habere; ut talem nanciscantur, qui illis semper & per omnia placeat.* Tunc omnes attoniti: sedere & inter se mussitare, donec a. 1540. *estimatis Gustavi meritis, justo benefico & prospero ejus imperio, in regia familia ejusque continua serie regnum facerent hereditarium. pag. 305.*

#### XLVII.

Est etiam indirectus ad novitatem progrediendi modus, quem Regi Lusitaniæ placuisse, Pufendorfius narrat, *Jur. Nat. & Gent. lib. VIII. cap. 10. fin.* Is enim cum graves ob causas usum mulorum Clericis vellet interdicare, & illi privilegia sua obtenderent; omnibus fabris ferrariis sub capitis pœna interdixit, ne ulli mulo soleas ferreas applicarent.

#### XLVIII.

Sed inopes nos facit rerum copia; quin & cœcutientes reddit lucida rerum sublimitas, quam oculi nondum talibus adsueti perferre vix possunt. Inde satius fuerit, ad indagandam hujus virtutis naturam, pauca dixisse, quam in ambagibus nimium diffusis infirmitatem prodidisse. DEUM itaque rogamus, velit apud nos non modo custodire, si qua fausta sunt antiquitatis vestigia, nec simul invidere successum, qui fortunatam nobis novitatem promittat; donec eo tandem perveniamus, ubi symbolum nostrum futurum est, *2. Corintb. V, 17.* VETERA TRAN-

SIERUNT, ECCE FACTA SUNT  
OMNIA NOVA.

S. D. G.

D 2

COROL-

## COROLLARIA.

1.

Novitatis vocabulum immerito vulgo exosum est.

2.

Novis rebus, nova sunt imponenda nomina.

3.

Opus, cum in Ecclesia tum Republica, est novis remediis, ubi mala forte longa mora invaluerunt.

4.

Magnum animi simplicitatis argumentum est, rem ideo repudiare, quia nova est.

5.

Vetustiora pleraque rudiora sunt novis, v. *Arist. Polit. XI. 10.*

6.

Qui nova remedia accipere nolit, nova expectet mala, recte *illustris Baconus* ait.

7.

Inania ceremoniarum, quæ ex ruditate seculi inolvere, mutare nolle, vana superstitio est. Id quod tamen de aularum & curiarum ceremoniis antiquis accipi nolimus.

8.

Res novæ plerumque ab excitatoribus ingeniis deteguntur.

9. Nec

9.

Nec circa vera Religionis capita, nec facile circa statum reipublicæ quid innovandum est.

10.

*Novitatis* vocabulum sæpe non errorem, in eo, qui *novator* vocatur; sed in altero, qui illam sine ratione contemnit, ruditatis aut malitiæ confessionem notat.

11.

Casus & conversiones rerum inexpectatæ, prudentiam circa nova commendant. Atque tunc locum habent τὰ ἐυρήματα βίης καὶ χρόνος.

12.

Qui nova invenit, pluris æstimandus est, quam qui vetera tantum novit.

13.

Stoliditatis vero humanæ indicium est, novas subinde vestium formas amare.

14.

Prudentia ergo circa res antiquas & novas opus est; quæ vel evidentem utilitatem, vel decorum spectat.

15.

Recte magnus Erasmus, in *coll. de Job. Reuchlino*; qui quicquid novum est, fugiendum censet; dignus erit, qui nunquam mutet veteres calceos, aut putre subligar; semper vescatur putribus ovis, nec aliud bibat, quam vappam.

D >

CELE-

CELEBERRIMO VIRO,  
DOMINO  
CHRISTIANO WEISIO,  
Gymnas. Zittaviensis RECTORI  
de studiosa juventute præclare  
merito,  
S. O. D.  
ADAMUS RECHENBERG.

\* \* \*



Voties cum Tuo JOH.  
ELIA, *Juvene politis-*  
*simo*, de rebus litterari-  
is sermones miscere,  
contingit; toties, *Vir*  
*amicissime*, veteris no-  
stræ amicitiae in Academia hac olim  
cultæ, non sine animi voluptate re-  
cordor. Nam & vultum is Tuum,  
& animi haud degeneris indolem,  
refert, vividumque ac elegans ser-  
mone prompto ingenium prodit.  
Adeo, ut vivam Tui imaginem in  
optimo Filio spirantem intueri mihi  
vide-

videar. Multos equidem filios do-  
ctrina egregios in scholarum, Ec-  
clesiæ & reipublicæ usus educasti  
formastique; quos si numeras, non  
potes non divinam benedictionem  
prædicare atque gaudere. Verum  
si animi Tui *σοφῶν* respicio, majori  
afficieris gaudio; quod, quæ est di-  
vina gratia, in Ascanio Tuo, opti-  
mæ spei Juvene, ætate jam ad fene-  
ctutem vergente, reviviscere velut  
ac perennare incipis. Persuasum  
enim habeo, laudatum Tuum J. O.  
ELIAM, qua est animi bonitate,  
non commissurum esse; ut vota,  
spes & cura paterna, sua unquam  
culpa intervertantur aut fallant. Nã  
in coepto hæctenus virtutis itinere  
strenue pergit, Tuaque vestigia pre-  
mendo, ad sapientiæ arcem per gra-  
dus contendit, inque eruditorum lu-  
cem

cem prōdire gestit. Ac ne verba,  
Tibi, OPTIME WEISI, dedisse vi-  
dear, ipse suæ industriæ publicum  
documentum jam, ut puto, non pro-  
letarium exhibet. DEUS, quem  
reveretur & pie colit, porro ejus-  
dem conatus laudabiles prosperet  
atque fortunet: ut, paternorum  
monitorum ipse memor semper,  
spes & vota, quibus domo abeun-  
tem, & ad nos venientem mactasti,  
impleat; imo superet! ita ex animo  
precor. Scrib. Lipsiæ XXI. Jun.  
A. C. M DC XCVIII.

